Fragmentarium

genus causarum quae habet vim efficiendi necessariam errorem auferre non ferre solet; hoc autem
sine quo non efficitur saepe conturbat. Nam autem si sine parentibus filii esse non possunt propte
rea causa fuit in parentibus gignendi necessaria; hoc igitur sine quo non fit
ab eo in quo certe fit diligenter est separandum. Illud enim est tanquam utinam
ne in nemore pelio. nisi enim cecidissent abiegnae ad terram trabes ergo illa
facta non esset. Nec tamen fuit in his trabibus efficiendi vis necessaria; At cum
in aiacis navim navim crispi sulcans igneum fulmen iniectum est inflammatur navis
necessario. Atque etiam est causarum dissimilitudo. quod aliae sunt aut sine ulla
appetitione animi. sine voluntate. sine opinione. suum quasi opus efficiant.
tut omne intereat quod ortum sit; Aliae autem aut voluntate efficiuntur.
aut perturbatione animi. aut habitu. aut natura. aut arte. aut casu; Vo
luntate ut tu cum hunc libellum legis. perturbatione aut si quis eventum
horum temporum timeat. Habitu ut qui facile et cito irascatur; Natura ut vi
tium in dies crescat: Arte ut bene pingat; Casu ut prospere naviget; Nihil
horum sine causa nec quicquam omnino; sed huiusmodi causae non necessariae;
Omnium autem causarum in aliis est constantia in aliis non inest. In natura et
in arte constantia est. In ceteris nulla. Sed tamen earum causarum quae non sunt
constantes aliae sunt perspicuae aliae latent; Perspicuae sunt quae appetitio
nem animi iudiciumque tangunt; Latent quae subiectae sunt fortunae. Cum
enim nihil sine causa fiat hoc ipsum est fortunae eventus obscura causa
et latenter efficitur; etiam ut ea quae fiunt partim sint ignorata partim
voluntaria. Ignorata quae necessitate effecta sunt; Voluntaria quae
consilio; Quae autem fortuna vel ignorata vel voluntaria. Nam iacere
telum voluntatis est; ferire quem nolueris fortunae; Ex quo aries ille subi
citur in vestris actionibus; si telum manu fugit magis quam iecit. Cadunt etiam in
ignorationem atque in prudentiam perturbationes animi quae quamquam sunt volunta
riae; obiurgatione et admonitione enim deiciuntur; tamen habent
tantos motus ut ea quae voluntaria sunt aut necessaria interdum aut certe igno

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. C 219, 1_7v – A) Cicero: Topica; B) Annaeus Florus: Epitome Bellorum Romanorum; Livius: Periochae; C) Juvenal: Saturae, cum glossis; D) Augustinus (Pseudo-): Categoriae [= Paraphrasis Themistiana] (https://fragmentarium.ms/view/page/F-yuic/5321/50577)